34 1 D.13.6

225 48

FRANCISCI MARIANI VITERBIEN.

DE HELLENISTIS

IN ACTIBUS APOSTOLORUM

CONTRA SALMASIUM.

Digitized by Google

Franciſci Mariani Viterbien. Bibliothecæ Vatic. Scriptoris Græci de HELLENISTIS in Actis Apoſtolorum, contra Salmaſium, Suicerum, Olearium, & alios.

Clariſs. Claudius Salmaſius adverſus Danielem Heinſium, quod linguam LXX. Interpretum, & Novi Teſtamenti Helleniſticam appellarit, atque Helleniſtas, inter quos ſeptem Diaconi, hebræos origine fuiſſe dixerit; tanto cum faſtu, & contemtu invectus eſt, ut omnes ejuſdem ſententiæ, tanquam ineptos, bardos, atque Helleniſticarios (ſic ipſe appellat) irridendos, exſibilandoſque traduxerit. Eum multi magno cum plauſu ſecuti ſunt, ſummiſque, laudibus mira illius eruditione, & fama faſcinati, duobus libris in fraudem inducti, alterum quorum Helleniſtica *appellavit, alterum* Funus linguæ Helleniſticæ, *tanta confidentia, ac jactantia, ut alium libellum adjicere non dubitaverit, quem* Oſſilegium *inſcribere non puduit, additis etiam duobus verſiculis, in quibus ſtultos dicit eos, qui Helleniſticam linguam extitiſſe defendunt: & veritus, ne ſatis intelligerentur, latine, adjecerit* (Funer. pag. 226.) *ſe ipſum commendans* : Dignum opus Herculis clava : nullum ille monſtrum monſtroſius mactavit. *Ita, quod credit ſe proſtraſſe Helleniſtas, Herculi ſeipſum comparat, imo multo præfert. Quis non exhorreat hunc Herculem furentem?*

Digitized by Google

Ego ſtatim atque in meas manus illi libri inciderunt, ab amico rogatus, quid ſentirem, non potui facere quin illud Martialis occinerem:

Nuper erat Medicus, nunc eſt Veſpillo Diaulus.

Quis enim ad tantam jactantiam non commoveatur? Quis non ſtupeat hominem doctum, & eruditum linguam feretro impoſuiſſe, & cum accenſis funalibus ducere ad ſepulturam? Quis non rideat Archiatrum nobiliſſimum combuſtæ linguæ oſſa ſe inveniſſe, & collegiſſe jactantem? Veniamus nunc ad Salmaſii reprehenſiones. Is Sacrorum Librorum ſermonem nullo pacto dici poſſe linguam Helleniſticam contendit, quia nunquam ita appellata invenitur apud antiquos. At neque Helleniſticarii dicti ſunt ejus ſententiæ homines multi, & magni, & tamen hoc nomine eos appellavit primus. An ipſe inepte, atque invidioſe imponendorum nominum facultatem ſibi arrogat, alios propriis, & uſitatis nominibus uti non concedit? Linguam Helleniſticam vocavit eruditiſſimus Scaliger, quem ideo laudat Aug. Pſeifferus, nec rejicit Jo. Olearius, nec Boeclerus. Nolo catalogum texere doctiſſimorum hominum ejuſdem ſententiæ, ne videar in quæſtione de voce, ut ajunt, abuti tempore. Satis erit ſi Huetium, Calmetum, Druſium, Moduy, Lightfootum, Glaſſium, Lamy, & Boſſuetum, Salmaſio opponam, unuſquiſque quorum cum eo poteſt de eruditione contendere: audiamus duos poſtremos. Bernardus Lamy in Apparatu Biblico cap. IX. Facta eſt, *inquit*, ſpecies Schiſmatis inter Judæos: etenim quia græca ubique notior erat, fuere Judæi etiam extra Alexandriam, qui verſiones græcas Bibliorum legerent in Synagogis, ideo dicti Helleniſtæ, & habiti deſpectui ceteris Judæis, qui hebræis Bibliis uterentur. *Boſſuetus vero in Hiſtor. Univerſali ad ann. Chri-*

ſti

ſti 277. Hebræi , *ſcribit* , fecerunt ſibi græcam quandam linguam hebraiſmis miſtam , quæ Helleniſtica appellatur . Septuaginta Interpretes , totumque Novum Teſtamentum hac dialecto ſcriptumeſt . *Omitto Card. Baronium , ad an.* 34. , *Fleury , alioſque plurimos. Non multis ante annis Gaſpar Scioppius , ut notat Borrichius , aliique Viri celeberrimi , latinæ linguæ auctores in varias claſſes diviſerunt, eiſque ætates aſſignarunt , & in auream , argenteam , æream , ferreamque diſtribuerunt , quum antea nemo unus hanc nomenclaturam uſurpaverit . Ideo ne inſani , inepti , phanatici cenſendi ſunt, ſicut Heinſium , & Druſium Salmaſius appellat , quod Helleniſtarum linguam a reliquis græcæ dialectis diſtinctam eſſe arbitrantur ? Adde quod Salmaſius eo vecordiæ abreptus eſt , ut neget Helleniſmum in pluribus vocibus ſtare poſſe . Num in unico verbo barbariſmum grammatici ponunt ? Num* In convertendo Dominus captivitatem *in ſola voce* Dominus *eſt græca conſtructio ? Num quum canit Horatius :* abſtineto irarum , *non ſtat in utraque ? Neſcit* συντάττεσθαι , & *συντάξιν una in re nec concipi , nec dici poſſe ? Ipſe Claudius Novi Teſtamenti dictionem fatetur non eſſe puram , quid igitur impedimento eſt , quo minus homines docti ad hanc indicandam Helleniſticam appellitent , ſicut hiſpanitatem in Quintiliani Declamationibus Philelphus, & Franciſcus Silvius, Patavinitatem in Livio Aſinius Pollio , in Hadriano ruſticitatem Senatus Rom. , & Cicero in Metelli laudatoribus peregrinitatem notarunt ? Sed in hac quæſtione , quæ ad nomen pertinet , non eſt operæ pretium diutius immorari . Veniamus ad illam , quæ ad hiſtoriam pertinet , & eſt majoris momenti : Utrum Helleniſtæ, quorum in Actis Apoſtolorum mentio fit , Hebræi fuerint , qui græce loque-*

Digitized by Google

rentur, an græci, qui ad veram Religionem tranſierant.
Multi cum Salmaſio ſeptem Diaconos Helleniſtas, alioſque
græci ſanguinis eſſe volunt. Ego contra excepto Nicolao,
omnes filios Abrahæ fuiſſe quolibet pignore contendo. Ad-
verſariorum argumentum præcipuum illud eſt, quod
Actorum cap. 6. Hebræi ab Helleniſtis diſtinguuntur:
Ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς ἑβραίους:
Factum eſt murmur græcorum (*in Orig.* Ἑλληνιστῶν.
1. *Helleniſtarum*) contra Hebræos: *atque hinc conclu-*
dunt: ergo Helleniſtæ non erant hebræi, ſed græcæ ſtirpis,
qui Chriſti legem amplexi fuerant. Heic notandum, quod
ipſe Salmaſius pluribus in locis, præſertim Funer. p.226.
ſe ſcire ſcibit Ἑλληνιστὰς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων *diſtingui,*
ut atticiſtæ ab atticis, & in Præfatione famoſi libri de
Uſuris, *Helleniſtas non de græcis, ſed de aliis interpre-*
tatur, qui græce loquebantur. Quod repetit Oſſilegii
pag. 345. Si igitur græcorum filii non erant, ideſt τῶν
ἐθνῶν, *reſtat, ut eſſent ex genere Abrahæ. Atque hoc ut*
clarius pateat, Interpres Syriacus illud Actor. cap. 9.
v. 9. Paulus diſputabat cum Helleniſtis, *diſerte expli-*
cat hoc pacto: diſputabat cum hebræis. Et S. Joannes,
qui græce ſcripſit, ita locutus eſſe adnotatur in Codice
pariter Syriaco num. XIX. *Biblioth. Vaticanæ ſeptingentis,*
& amplius annis ab hinc exarato, ubi ſic notatur in fine:
Explicit annunciatio Joannis, qui Helleniſtice locu-
tus eſt Epheſi. אלינסתין, Helleniſtin *de Hebræis*
græciſſantibus dici docet Buxtorfius, ſi quis alius harum
rerum peritiſſimus in Lexico Chaldaico. Quis enim igno-
rat, nomen hoc Helleniſtes ab ἑλληνίζειν *etymon habere,*
quod ſignificat non græcum eſſe, *ſed* græcos imitari,
Conſulant Budæum, Criſpinum, Schrevelium, Tuſanum,
Scapulam, Hen. Stephanum, & quotquot λεξικὰ *com-*
po-

Digitized by Google

poſuerunt. Si illi igitur Diaconi, ut fatetur Salmaſius, Helleniſtæ erant, fateatur neceſſe eſt, non fuiſſe græcos origine, ſed græcam dialecton ſolum uſurpaſſe eo, quod in urbibus, ac provinciis nati, vel morati fuerunt, ubi græca lingua uſurpabatur. Ideo S. Joannes Evang. cap. 7. v. 35. nominat διασπορὰν ἑλλήνων. i. δώδεκα φυλὰς ἐν διασπορᾷ; duodecim Tribus in diſperſione, ut notat Salomon Glaſſius Philolog. l. 1. ſect. 2. pag. 1497., conceditque Salmaſius in Helleniſtica pag. 220.

Hebræi enim per totam ferme Aſiam, aliaſque Mundi partes diſperſos fuiſſe ſolus ignorat, qui ſecundum caput Act. Apoſtolorum nunquam legit, ubi Judæi ex omni gente, quæ ſub cœlo eſt, recenſentur, quique nunquam vidit Jacobi Epiſtolam duodecim tribubus ἐν διασπορᾷ, neque S. Petri τοῖς τῆς διασπορᾶς παρεπιδήμοις. Prætereo epiſtolam ad Hebræos, quæ etſi credatur eorum lingua primo exarata, nempe Syriaca; tamen a S. Luca ſubito, aut, ut alii putant, a S. Clemente in græcam linguam fuiſſe converſam indubitatum eſt. Ad hæc quid Salmaſius? Judæi illi ex omni genere, inquit, collecti erant, ſed major pars eo nomine appellabatur, quia erant Proſelyti, & Judæorum legem amplexi fuerant. Verum, ipſe dixit. Equidem nonnulli erant proſelyti, & tamen ab Hebræis S. Lucas illos diſtinguit diſertiſſime eodem capite 2. Act., ubi inter alios enumerat Cyrenenſes, Judæos, & Proſelytos, quos S. Chryſoſtomus illos eſſe ait, qui Colentes dicuntur (in Act. c. 17. v. 17.) quia Judæi, ut notat Homilia de S. Pentecoſte πανταχοῦ τῆς γῆς διεσπαρμένοι ἦσαν. i. ubique gentium diſperſi erant, quarum multas recenſet Philo in Legatione ad Cajum; & Rex Agrippa apud Joſephum lib. 2. de Bello Jud. Οὐ γάρ ἐστιν ἐπὶ γῆς οἰκουμένης δῆμος, ὃ μὴ μοῖραν ἔχων ὑμετέραν

Digitized by Google

πέραν. i. non eſt in terra habitata populus, ubi portionem veſtram non habeat. *In ſola Ægypto Hebræorum decies centena millia habitaſſe teſtis eſt idem Philo* in Flaccum. *An de Proſelytis ſollicitus erat Agrippa, an de advenis loquebatur Chryſoſtomus, & Philo Judæus? Major pars, ait Salmaſius, erant Proſelyti. Sed hoc repugnat Scripturæ, & SS. Patribus. Phariſæi profectò, qui maximum legis ſtudium, fervoremque præſeferebant, ac terras, & maria circumibant, vix faciebant* Proſelytum unum. *Matth.* 23. 15. *Alii hebræi id ſibi fas eſſe non credebant, ut ait S. Cyrillus:* ἐξηγεῖσθαι ἀλλογενέσι τὸν νόμον, οὐκ ἀνέγκλητον ἦν. *Adde quod libros legis gens Judæa, ut notat S. Auguſtinus l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15.* ceteris populis vel religione, vel invidia prodere nolebat; *Et S. Ambroſius l. 9. in Lucam:* Nullus antequam Chriſtus, nationum populos vocavit ad Eccleſiam. *Idem aſſerit S. Gregorius in Homilia, quæ legitur Fer.* V. *Quadrag. Ideo Clar. Millius, aliique illud cap. 9. Act.* Diſputabat cum græcis *explicant* cum hebræis Hellenizantibus; *Adduntque rationem,* quia nondum gentibus prædicatum erat Evangelium. *Unde igitur habet tot proſelytos adeo excellentes Salmaſius, ut ex iis ſeptem eligerentur, atque hebræis ipſis anteferrentur, quibus promiſſio facta eſt, & propter quos præcipue Chriſtus carnem induit?* Non veni niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael, *Matth.* 15. 24. *Quis vero tanta eloquentia, & virtute præditus extitit, qui tot gentes ad ſubeundum onus legis,* καὶ περιτομὴν *acerbiſſimam induxit, id quod nec illius ætatis hebræi, nec* patres eorum portare potuerunt, *ut legimus Act. cap. 15. præſertim cum ſalus ſola fide in Chriſtum venturum acquiri potuerit? Tanta ne fœcunditate donata*

eſt,

Digitized by Google

eſt Ancilla, quæ in ſervitutem generat (*Gal.* 4. 28.) *ut Libertinos*, *Alexandrinos*, *Cyrenenſes*, *Aſianos*, *alioſque veræ Religionis filios pareret*, *quod ſolis Chriſti diſcipulis*, *ideſt* filiis liberæ, filiis promiſſionis (*Galat. ibid.*) per Spiritum non ſervitutis, ſed adoptionis filiorum *reſervabatur*? *Roman.* 8, 15. *Salmaſius quum videret hunc tam grandem Proſelytorum numerum difficile perſuaſu per tot regna diviſum*, *quibus S. Petrus*, *& Jacobus miſerunt Epiſtolas*, (*Offil. pag.* 328.) *fatetur*, *in omnibus iis regionibus linguam græcam fuiſſe uſurpatam*, *ſed negat in Synagogis*. *Ecce tibi aliam ſtropham*, *Audiamus quam afferat cauſſam*. Quia plurimi ex iis, *ait*, hebraice ſciebant haud minus quam Paulus. *Riſum teneatis amici*! *Qui Syriacam linguam callerent*, *erant profecto multi*, *ſed qui hebraicam*, *quos S. Chryſoſtomus* βαθεῖς ἑβραίυς. i. profundos hebræos *vocat*, *pauciſſimi vel inter Iſraelitas*, *quod ex Eſdra notum eſt*, *atque ex ſtupore hebræorum*, *quum in Templo Chriſtus Iſaiam interpretatus eſt*. *Quin imo multi ſunt*, *inter quos Huetius in Demoſtr.Evang.*, *aliique apud Baſnage*, *& Fabricium*, *qui aſſerere non dubitant*, *& argumentis probant*, *neque Joſephum*, *neque Philonem Judæorum facile doctiſſimos Moſis*, *& reliquorum Prophetarum libros intellexiſſe*. *Verum ſicut nullum argumentum hanc in rem de more Claudius affert*, *ita nec ullam confutationem opponere operæ pretium eſt*. *Ut tamen magis magiſque in aperto ſit hujus hominis in decidendo inconſulta facilitas*, *audiamus* Tertullianum, *qui teſtatur*, *hebræos palam lectitaſſe* LXX. *Interpretes*, *quod non ignorat Salmaſius in Fun. pag.* 89. *& alibi*. *Adde quod S. Juſtinus in Palæſtina natus eandem verſionem in Synagogis ſervatam affirmat*, *quod propter Juſtiniani Novel-*

Digitized by Google

vellam 146. *inficiari non potuit ipſe Fun.pag.*91. *& quia jam faſſus fuerat* Syriam Palæſtinæ propter diuturnum Macedonum Imperium, *ut ait in Helleniſtica pag.*121. totam græcos occupaſſe; *Quod idem eſt ac fateri, Judæos Palæſtinæ Helleniſtas exſtitiſſe. Quid quod ex Talmud indubitatum eſt, ut jam attigimus, Cæſareæ in Vrbe principe Sacra Biblia quidem, ſed græca in Synagogis fuiſſe lecta? Quam lectionem, quam Helleniſticam vocat, quum R. Levi vehementer improbaret, R. Ioſe reſpondit haud aliter fieri poſſe,* quia hebraice non intelligebant. *Hæc refert Buxtorſius in Theſauro Rabbinico, qui de ſuo etiam addit*: ergo græce ſacra legere in Synagogis fuit permiſſum, quod a multis negatur. *Et Salmaſius cum ſua confeſſione, & conſcientia constrictus teneatur, tamen exultat, atque illudit adverſarios, nec unquam ab hoc enthymemate ſeſe explicat*: ἑλλωίζειν, *a quo* Helleniſtes *dicitur, ſignificat* græcos imitari, *ſicut Helleniſmus* ἑλλωισμὸς *l.* 2. *Machab. v.* 13. *vocatur nefarium Jaſonis ſcelus, qui multos hebræorum ad græcum ritum* ἐπὶ τὸν ἑλλωικὸν χαρακτῆρα *transferre auſus eſt. Ergo Helleniſtæ loquebantur græce quidem, ſed græci non erant. Barbari Ambraciotæ, quum in Argos Amphilochium recepti fuerunt, græcorum linguam, moreſque didicerunt: de iis Thucidides ſcribit, quod* ἑλλωίϑησαν, *ideſt* hellenizare docti ſunt, *novumque induerunt nomen, non retinuerunt antiquum. Quis enim Judæum, qui Chriſtianus factus ſit, hebraiſtam appellaret?* Omnis, *ſcribit ipſe Salmaſius Fun. p.*258. qui græca utitur lingua cum græcus non ſit origine, ἑλλωιστὴς eſt, ſicut Jonicus ἀττικιστὴς dicitur, ſi relicta vernacula lingua ſcribere malit attice. *Hæc verba Salmaſii, quam male ſibi conſtet, & quam adverſantia*

Digitized by Google

tia effutiat, manifeſtiſſime demonſtrant. Si igitur Proſelyti non fuiſſent hebræi, non græciſſantes, ſed hebraizantes appellari debuiſſent: Judæorum enim ritus ſermonemque didiciſſent: Sicut Paulus contra Petri ſimulationem diſſerens Gal. 2. 14. Quomodo, *ait*, cogis gentes judaizare, *ἰουδαΐζειν? Solo hoc exemplo tota hæc controverſia dirimitur. Sed veniamus ad argutias Salmaſii, quæ aliquid ponderis habuiſſe viſa ſunt quibuſdam, ſed leviores ſunt funereo pulvere, & fragiliores oſſibus exuſtis. Primum, quod jam attigimus illud eſt, quod cap.* VI. *Actor. ſic legimus.* Ἐγένετο γογγυσμὸς ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς ἑβραίους. i. Factum eſt murmur græcorum, *ſeu Helleniſtarum*, contra hebræos. *Hoc in loco Helleniſtæ, inquit Salmaſius, diſtinguuntur ab hebræis. Quis it inficias?* Ergo, *addit*, Helleniſtæ non erant hebræi. *Congerit etiam aliud σόφισμα ex cap.* XI. *v.* 19. *ubi S. Lucas narrat diſcipulos diſperſos poſt Stephani cædem perambulaſſe varias provincias uſque Antiochiam* nemini loquentes verbum niſi ſolis Judæis (*ſic refert Salmaſius, ſtatimque adjungit,*) quoſdam ex ipſis Cyrenenſes, qui erant & Cyprii, Antiochiam ingreſſos non Judæis ſolum, ſed ETIAM HELLENISTIS verbum Dei prædicaſſe. *Heic accuſandus eſt Salmaſius, quod Sac. Scripturæ verba interpolarit. Nam illud* niſi ſolis Judæis, ſed etiam Helleniſtis *non ita legitur, ſed* μηδενὶ λαλοῦντες, εἰ μὴ μόνον Ἰουδαίοις. *Verſu inſequenti profecto narratur, quod Cyprii, & Cyrenæi aliquot introeuntes in Urbem allocuti ſunt Helleniſtas. Fraus igitur, & fallacia in verbis* niſi ſolis Judæis, *& in* ſed etiam, *manifeſte apparet. Verum hæc in præſentiarum prætereo. Reſpondeo igitur: Judæi in primo, & ſecundo exemplo, diſtin-*

 guun-

guuntur ſane ab Helleniſtis, ſed ajo diſcrimen non eſſe, quod eſſent diverſæ originis, ſed quod diverſa lingua uterentur, contrariiſque opinionibus imbuti eſſent. Et contra Claudium hoc torqueo enthymema, ut primo intuitu noſcatur, quam infirma ſit illius argutatio. Judæi ſæpe in Evangelio Phariſæis opponuntur: Ergo ne Phariſæi non erant hebræi? Actorum cap. IX. *v.* 22. *legitur Paulus* συνέχυνε τὺς Ἰουδαίυς confundebat Judæos: *num Iudæus non erat? Num murmuratio contra aliquem diverſitatem generis facit, & diſputatio minime? Alia exempla proferre poſſem, ſed unum addam ex Matt.* XVI. *v.* 14. *ubi Chriſtus Apoſtolos interrogat:* Quem dicunt homines eſſe filium hominis? At illi dixerunt: alii Joannem Baptiſtam .... Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus &c. *Videre poterat heic Salmaſius oppoſitos ſenſus, interrogationes diverſas, contrariaſque opiniones: imo ipſe Chriſtus diſcrevit diſcipulos ab aliis hominibus, ut notat S. Hieronymus in hunc locum. Num Apoſtoli non erant homines? Sicui tamen hoc ſatis non eſt, addam* παράδειγμα *ſimillimum ex cap.* IX. *Actor.v.*26. Saulus cum veniſſet in Hieruſalem, tentabat ſe jungere diſcipulis, & OMNES eum timebant .... Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos. *An Barnabas Chriſti diſcipulus non erat? Sed hæc Claudius, ejuſque ſocii non meditantur. Afferamus itaque Athenæi locum, in quo ipſe magnifice ſe jactat, nec intelligit ſibi eſſe contrarium. Ille eruditus Naucratita diſtinguit Philemonem, Menandrum, & Lyſiam ab Helleniſtis* ἑλληνίζυσιν. *Illi* ἀργυρώματα, χρυσώματα, καὶ χαλκώματα *dicebant, quæ* ἀργυροῦν κόσμον, χρυσοῦν, καὶ χαλκοῦν *Hellenizontes appellabant. Heic noſter Claudius*

con-

contendit, Hellenizontas, ſeu Helleniſtas eos græcos eſſe, qui elegantiſſime loquebantur, quia Helleniſmus præcipua laus eſt in Scriptoribus: Et lœve judicat æquo. Addit præterea, Helleniſmum eſſe perfectiſſimum ſcribendi genus, quia Rhetores, & præſertim Aphthonius lib. 6. inter Oratoris *laudes illum in primis requirit: adeo ut quum in Sac. Bibliis ſermo ſit Syriaſmis, atque hebraiſmis refertus, ut ipſe contendit (diſſentiente tamen Cl. Schwartio, Oleario, aliiſque) nemini niſi inſanienti venire poſſe in mentem putat, Sac. Scriptores fuiſſe, & poſſe dici Helleniſtas, qui ſermone vili, atque inelegante uſi ſunt. Veriſſimum eſt, Helleniſmum in primis Rhetores ſuis diſcipulis inculcaſſe, qui nec Attici, nec in Græcia nati erant, ſicut ipſe Aphthonius teſte Fabricio Bibl. Græc. lib. 4. Sed quotuſquiſque ad eam laudem aſpirabat? Quare Claudius ſtudioſiſſimos quantum volet, ſibi fingat Hellenizontas, atque elegantiſſimos ſupra* κόσμον ἀργυροῦν, καὶ χρυσοῦν, *num aureum, atque argenteum dicendi genus Demoſthenis, Theophraſti, & Xenophontis æquare poterant? Quando igitur proponit Athenæus phraſin illorum ſummorum hominum, & Hellenizonton, ideſt, eorum, qui illos æmulabantur, ſolum indicat dictionis differentiam, non elegantiæ palmam tribuit Helleniſtis. Quis enim, ut Menandrum, & Philemonem prætercam, Lyſia elegantior unquam extitit, aut eſſe potuit, quem venuſtiſſimum, & politiſſimum cenſet Cicero, quem Dionyſ. Halicarnaſſæus* τῆς ἀττικῆς γλώττης ἄριστον κανόνα *appellavit, quem Quintilianus elegantem, & perfectum vocat, & Suidas de eo ſcribit, quod* καθαρῷ τῆς φράσεως μηδένα ἔχει μιμητὴν πλὴν Ἰσοκράτους. *Photius pariter commendat illius* πολλὴν τὴν καθαρότητα, καὶ σαφήνειαν. *Julius Pollux ab Imperatore M. An-*

tonino

tonino Magiſter ἀγλωττίας filio ſuo datus, ἀργυρώματα, χρυσώματα, καὶ χαλκώματα recenſet, ſed ἀργυροῦν, χρυσοῦν, καὶ χαλκοῦν κόσμον ignorat. Quare Helleniſtæ ſæpe a bene loquendo procul aberant, ſicuti Strabo Cares κακῶς ἑλληνίζοντας, ideſt malos Helleniſtas pronunciat, qui etiam ab Homero βαρβαρόφωνοι dicti ſunt, ut notat Bochartus lib. 1. cap. 7. Chan. Jam Claudius ſuo ſibi gladio jugulandus eſt. Helleniſtæ non χρυσώματα, nec ἀργυρώματα uſurpabant, ſed χρυσοῦν κόσμον, καὶ ἀργυροῦν: Sed ita D. Paulus locutus eſt in ep. 2. ad Timoth. cap. 2. v. 20. σκεύη χρυσᾶ, καὶ ἀργυρᾶ: D. Paulus ergo erat Helleniſta, ergo etiam ceteri Apoſtoli Helleniſtæ igitur erant hebræi, ergo reliqui etiam Apoſtoli. Veteris quoque Teſtamenti Interpretes, qui certe fuerunt Iudæi, eadem phraſi uſi ſunt. Legimus in Exodo non ſemel σκεύη χρυσᾶ, καὶ ἀργυρᾶ, ſicut cap. 3. v. 22., & in lib. Regum bis, terque, ut lib. 1. cap. 6. v. 8., & lib. 2. cap. 8. v. 10., & lib. 4. cap. 25. v. 14. Κόσμον vero χρυσοῦν Eccli. cap. 20. v. 21. & Machab. c. 1. v. 22. & lib. 2. cap. 5. v. 3. χρυσῶν κόσμων ἐκλάμψεις. Concludendum eſt igitur, Helleniſtas extitiſſe LXX. Interpretes: Ergo Helleniſtæ fuerunt Hebræi. Imitatores igitur fuerunt græci ſermonis, ſed minime Hellenes, ideſt græci. Et ideo nos figuram Helleniſmi dicimus, quum Syntaxim græcam latini imitantur, ut major horum eſt caritas, & alia ſimilia. Nonne intelligenti hæc ſatis ſunt? Et tamen Salmaſius acrius inſtat, ac Theocritum opponit, qui Idyllio XV. mulieres quaſdam Syracuſanas inducit ſpectantes Alexandriæ feſtum Adonidis, quæ cum a quodam illuderentur ob loquelam πλατισδοῦσαν, ſe aperte Syracuſias eſſe faſſæ ſunt, ſed Corinthias origine, quare ita reſpondent: δωρίσδεν δ' ἔξεστι τοῖς δωριέεσσιν.

Ergo,

Ergo, ait, ſi Dorides feminæ δωρίζειν dicuntur, etiam de iis, qui in græcia nati ſunt poteſt uſurpari ἑλληνίζειν, adeoque veros græcos poſſe appellari Helleniſtas. At homo eruditiſſimus non cogitat, vel diſſimulat Syracuſanas illas ἐκ γῆς τ̃ δωρίδος, & Κοριν9ίας ἄνωθεν, ut poeta ipſe loquitur, jure δωρίζειν dici, quia dorica dialectus non erat Siculis propria, ſed poſt adventum Peloponneſiorum, ſicut latina, poſt quam ſubacti ſunt a Romanis, adſcita fuit ab iis. Trinacria enim non modo tribus promontoriis, verum etiam tribus incolarum generibus eſt celebris, & ideo trilingues ab Apulejo lib. 11. dicti ſunt, quod etiam Taubmannus obſervat ad Prologum Menechmi, quum Plautus ipſum Siciliſſantem fingit in ſcena Illyrica, quia Comœdia, cujus præcipuæ perſonæ Siculos repræſentabant, optime, ut notat Salmaſius idem Oſſilegii pag. 113., Siciliſſare dicitur. Hæc tam clara ſunt, ut intelligere non ſatis poſſim, quo pacto Claudius tam male Heinſium acceperit, niſi quod forte inter ſe aliqua ſimultas, ſeu æmulatio interceſſerit (quod ex epiſt. Leon. Allatii facile poſſem oſtendere) quæ tot flatus ipſi excitaverit, tantamque bilem commoverit, ut perſpicaciſſimum illius ingenium excæcarit. Certe nunc Viri eruditi Salmaſii opinione poſthabita, contrariæ adhærent, ut in principio vidimus, conceduntque, Alexandrinos Judæos Helleniſtas fuiſſe dictos, eoſque non ſolum in Regia Urbe, verum etiam in aliis, atque in ipſa Metropoli Hieroſolyma habuiſſe Synagogas, quod Claudius inficiari non potuit Funer. pag. 190. ubi verſio τῶν LXX. legebatur, quia hebraice, *inquit*, non norant. *Eam interpretationem ideo Helleniſtæ præſertim Ægyptii ſummopere amplexabantur, quia auctore Ptolemæo Rege facta fuit, adeoque illis cordi erat, ut an-*

nuum

nuum feſtum inſtituerint pro gratiis agendis Deo, non Ptolemæis, ut delirat Salmaſius, εὐχαριστήσαντες τῷ Θεῷ, *ſcribit Philo in vita Moſis, ob tantum beneficium. Hac de cauſſa Hebræi* βαθεῖς, *& præter æquum religioſi, ſicut de R. Levi adnotavimus, lectionem ejuſmodi in Synagogis ægre ferebant, & angue pejus averſabantur, Helleniſtas vero haud aliter, quam Apoſtolum, tanquam profanos,* ἀποσυναγώγους, *atque, ut ait Lamy, veluti Schiſmaticos ne aſpicere quidem ſuſtinebant illi, quos* βαθεῖς ἑβραίους. i. profundos Hebræos *appellat Chryſoſtomus Hom. 20. p. 169. edit. PP. S. Mauri, ob penitiorem cognitionem hebraicæ linguæ, non quia ab origine* ἀνέκαθεν, *ut contendit Salmaſius, tales erant. Sic* βαθεῖαν καρδίαν, *Hierem. 17. v. 9.* Ὄρθρου βαθέος *Lucæ XXIV.* βουλὴν βαθεῖαν *apud Iſaiam, non origini referuntur, ſed ſignificant profunditatem, modumque eximium. Audiamus S. Chryſoſtomum, cujus verbis ſubſcribunt Theophylactus, Oecumenius, aliique in Homil. laudata ad illa verba Act. cap. 9. v. 29.* ἐλάλει πρὸς τοὺς ἑλληνιστάς, *ſic commentatur:* ἑλληνιστὰς τοὺς ἑλληνιστὶ φθεγγομένους λέγει. καὶ τοῦτο σφόδρα σοφῶς. ἐκεῖνοι γὰρ ἄλλοι οἱ βαθεῖς ἑβραῖοι οὐδὲ ἰδεῖν αὐτὸν *(Paulum)* ἐθέλησαν, *ideſt,* Helleniſtas græce loquentes appellat, idque valde ſapienter: illi enim alii profundi hebræi neque aſpicere Paulum volebant. *Sed nullibi tam manifeſte Claudius ſuas technas prodit, quam ubi declinare ſatagit illud telum, quod ex Nicolao diacono contortum eſt, qui* Proſelytus Antiochenus *dicitur cap. 6. Act. Quare, inquiunt, Proſelytus hic cognominatur, ſi omnes ex ſententia Salmaſii erant Proſelyti? Hæc exceptio, ut ajunt, firmat regulam in contrarium. Is nihil territus Fun. pag. 81., ita, inquit, cognomina-*

minatus eſt, quia ſolus unus ab Antiochia: reliqui illi helleniſtæ quidem fuerunt, ſed Hieroſolymitani. Jam quiſque videt quem infans ſit Hieroſolymitam advenam, ſeu proſelytum dicere. Sed hoc non urgeo. Inter illos ſeptem adnumeratur etiam Philippus Diaconus ex Cæſarea, ubi domum, & filias habebat, ut legimus Act. cap. 21., & confirmat Euſebius l. 33., & Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Cur igitur s. Lucas non ſcribit Philippum advenam Cæſareenſem, ſicut Nicolaum advenam Antiochenum appellavit? Quid quod ſi Helleniſtæ hebræi non erant, illud murmur ex contemtu in Miniſterio quotidiano viduarum, ſtatim, & nullo negotio ab hebræis comprimi potuiſſet. Vos, reponere poterant, vos græcæ progeniei, & allophyli, qua fronte pares eſſe, ac certare nobiſcum audetis, qui ſumus ex ſemine Abrahæ? Præclare vobiſcum actum arbitraminor, ſi divinæ legis, & Myſteriorum participes fecimus, quos ut profanos ab ipſo Templi veſtibulo procul eſſe oportebat. Sed redeamus ad ſeptem Diaconos. Stephanus, *inquit Salmaſius, Fun. pag. 86.* ut helleniſta græce intelligebat, non hebraice, *eratque ex helleniſtis, qui a Judaiſmo deſciverant. Ex proſelytis igitur eſſe contendit. Sed illa verba, quibus in concione uſus eſt Act. cap. 7.,* ἄνδρες ἀδελφοὶ, Viri fratres, ὁ θεὸς ὤφθη πατρὶ ἡμῶν, Deus apparuit Patri noſtro Abraham. γένος ἡμῶν genus noſtrum, *& alia ejuſmodi, quæ præcipue ſuos perſecutores tangebant, tum Stephanum, tum helleniſtas illos ex hebræorum Sanguine fuiſſe luce clarius demonſtrant.*

Quo enim pacto ex ethnico Chriſtianus factus, & hebræorum Synagogæ renuncians, ut vult Salmaſius, ideſt cum hebræis nulla cognatione conjunctus, tum Ab-

rabam,

braham, tum alios Patriarchas appellare Patres *potuiſſet? An quia illos fidei in Chriſtum veluti parentes agnoſcebat? Verum Protomartyr Patres vocat etiam, qui noluerunt obedire Deo, & Moyſi, cap. 7. v. 39.* Οὐκ ἠθέλησαν ὑπήκοοι γενέσθαι οἱ πατέρες ἡμῶν, noluerunt obedire Patres noſtri. *Hi ſceleſti non poterant dici parentes in Fide: conſequens igitur eſt, Patres fuiſſe dictos ſolum propter ſanguinis conjunctionem. Ergo Stephanus erat hebræus. Reſtat, ut de Libertinis etiam videamus, an verum ſit fuiſſe græcæ ſtirpis, ut de more Claudius aſſerit animoſius, quam verius. Hi Hieroſolymæ Synagogam habebant, & græcis Bibliis utebantur, quia ex iis erant, quos Romani ſub Pompejo victos poſtea libertate donarunt, ut plerique omnes Interpretes adnotant cum Chryſoſtomo Hom.* 21. *pag.* 169. *Maur. Si ergo hi erant ex genere Abrahæ, quis non concedet, eos omnes, qui cum Protomartyre diſputabant, fuiſſe hebræos? Audiamus* Oecumenium: λιβερτῖνοι οἱ τῶν Ῥωμαίων ἀπελεύθεροι λέγονται. ᾤκουν δ' ἐκεῖ καὶ ἄλλοι πολλοὶ ξένοι ἐξ ἀλλοδαπῶν πόλεων, καὶ συναγωγὰς εἶχον, ἔνθα ἔδει τὸν νόμον ἀναγιγνώσκεσθαι. i. Libertini dicuntur Romanorum liberti: habitabant autem ibi ... ubi legem legere oportebat. *Audiamus modo Philonem De legat. ad Cajum:* πέραν τοῦ τιβέρεως ποταμοῦ, μεγάλης τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν κατεχομένην, καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων: Trans Tiberim fluvium magnæ Romæ portionem detentam, & habitatam a Judæis. *Unde Martialis l.* 1. *Epigr.* 42.

.... Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulfurata fractis
Permutat vitreis .....

At qui nam erant hi Judæi, niſi illi, quos Oecumenius,

Digitized by Google

menius, *& Chryſoſtomus appellat Romanorum libertos? In manibus eſt Philo:* αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν, ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν. i. jure belli enim in ſervitutem redacti,& ducti in Italiam, a poſſeſſoribus libertate donati ſunt. *Eat nunc Salmaſius*, *& clamet*, *hos libertos fuiſſe græci generis Fun. pag.* 109. *Exclamet*: Libertini illi non fuerunt Judæi, ſed helleniſtæ. *Fuiſſe Iudæos ex Philone*, *aliiſque vidimus*, *extitiſſe Helleniſtas Salmaſius concedit*. *Quid reſtat igitur*, *niſi helleniſtas omnes fuiſſe Iudæos? Iam vero oſtendamus*, *Alexandrinos*, *Cilices*, *Cyrenenſes*, *& Aſianos fuiſſe tales*. *In tota Ægypto*, *aliiſque regionibus illos habitaſſe a Ptolemæis præſertim traductos teſtatur Ioſephus l.* 2. *contra Apion. Quin etiam in Sardiniam Tacitus*, *alioſque plures aliò*, *Suetonius in Tiberio*, *quos omnes fuiſſe Iudeos deplorat Ioſephus* · *l.* 18. *De Antiochia*, *aliiſque urbibus Cœleſyriæ eadem habet l.* 2. *Antiq. cap.* 2. *&* 3. *Ad horum mentionem iterum æſtuat Salmaſius*. Helleniſtæ Antiochiæ, *ait*, erant Proſelyti, *& de more probat argumentatione*, *ſi ſuperis placet*, *neceſſaria*. Helleniſtæ Antiochiæ, *ait*, erant Proſelyti, *quia Nicolaus ejus Civis proſelytus erat*: *ergo etiam Diaconi illi ejus ſocii*. *Fun. pag.* 82. *Iam non miror totos ejus libros ſcatentes* ἀσυλλογισίαις, *nam quam legem diſſerendi ne tirones quidem ignorant*, a particulari *nempe*, *ut ajunt*, ad univerſale non valet conſequentia, *ipſe nunquam addidicit*.

Verum oblitus pene fueram alius non teli, *ſed tormenti bellici*, *quod Claudius magno cum fragore contra nos contorquet Fun. pag.*71. *Septem illi Diaconi*, *inquit*, *omnes erant ex græca progenie*: *Nomina illorum hellenica id manifeſte declarant Stephanus*, *Philippus*,

pus, Prochoros, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus. Profecto hominem acutiorem vidi neminem, quam Salmaſium. Facere non poſſum, quin dem manus victas argumento tam efficaci, mirorque illius modeſtiam, qui ſolum illos ſeptem enumerare contentus reliquit Petrum, Paulum, Andream, Bar-tolomæum, Marcum, Lucam, ſeu Lucium, Philippum, Thomam Didymum; & ex LXX. *diſcipulis, quorum paucos novimus, Soſthenem, Andronicum, Iunium, Nigrum, Lucium Cyrenæum, Mnaſonem, & Ariſtodemum: inter nomina id ætatis Agrippam cum uxore Berenice, Æneas, Alcimus, Antiochus, Antigonus, Alphæus, Antipas, Antipater, Apollo, Apelles, Archelaus. Heic quot Ariſtobulos, quot Alexandros enumerare poſſem hebræos ex ſola prima littera Alphabeti? Sed quid ago? in fine libelli jam ſumus. Legat qui plura videre vult, Fl: Ioſephum, & Philonem, qui cum aliis ſexcentis græca nomina habent. Ergo hi omnes non hebraici ſanguinis erant, ſed Proſelyti. Vicit Salmaſius, convocet libitinarios, pollinctores, ſandapilarios, veſpillones, ducat jam funus, pyram accendat, Oſſa colligat, cineres recondat Linguæ Helleniſticæ, ut in ſuo Noſocomio ſint contra Helleniſticariorum inſaniam pharmacon* Ἀντίδοτον. i. *Antidotum.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google